DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,

SISTENS

THEORIAM ÆTATVM PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICAM,

QVAM

VELIFICANTE NVMINIS SVPREMI GRATIA,

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAR. COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE, ET PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITAT. SYNDICO ET CONSVLE,

INCLYTO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIQVA HAC HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,

SVB PRÆSIDIO

LAVDATISSIMI ORDINIS MEDICI DOMINI SENIORIS,

DN. D. HERMANNI PAVLI JVCHII,

SERENISS. DVCVM SAXO-VINAR. ET ISENAC. CONSIL. AVLIC. ET ARCHIAT. PATHOL. ATQVE PRAXEOS PROFESS. PVBL. PRIMAR. ACADEM. CÆSAR. NAT. CVRIOS. COLLEGÆ,

PATRONI AC PROMOTORIS SVI COLENDISSIMI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS

RITE ET SOLENNITER IMPETRANDIS,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTET

AVTOR ET RESPONDENS

IGNATIVS Frölich/ *Silesio-Nissensis,*

A. A. L. L. ET PHILOSOPHIÆ DOCTOR, S. S. THEOLOGIÆ BACCALAVREVS FORMATVS.

DIE XIV. AVGVSTI M DCC XXXIII.

IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Literis HERINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICÆ
DE
THEORIA
ÆTATVM
PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA

PROŒMIVM.



Anta utique est humanæ vitæ fragilitas, tamque misera ejusdem conditio, dum ab ortu ad occasum usque hominem non nisi calamitatibus, laboribus & mille insuper ærumnis continuo jactari deprehendimus, ut vivere nil aliud sit, quam pati, dolere, mori: *Tot enim periculorum genera* (ut PLINII verbis utar *Lib. VII. cap. 50.) tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata morte, ut nullum sit frequentius votum: Natura vero nil hominibus brevitate vitæ præstitit melius.* Punctum sane est, quod vivimus, & adhuc puncto minus, juxta SENECAM *Epist. 49.* & tamen

in tam angusto temporis spatio plures posuit Natura gradus, variasque ac satis notabiles vicissitudines, corporis nostri fragilitatem ac dispositionem continuam ad corruptionem magis promoventes & accelerantes, quam impedientes. Nam, licet in vastissimo hocce terrarum orbe omnia vicissitudinis plena deprehendamus; in nulla tamen creaturarum in illo occurrentium vigorem & effectum talium mutationum evidentius & exquisitius observamus, quam in homine, qui, sicuti reliquis animantibus perfectione superior; ita quoque numero & diversitate istarum vicissitudinum, si non semper manifestarum, saltem notabiliorum, ac determinatis temporibus mutuo sese excipientium, omnibus viventibus præire solet. Et harum quoque intuitu vita nostra communiter in varias dirimitur *Ætates*, quarum quælibet non solum in statu naturali plane singulares & peculiares actionum quarumcunque mutationes & variationes exhibet, sed & in præternaturali distinctos atque cuilibet fere proprios morbos experitur; adeoque vel ob solam hancce causam utique attentiorem Medicorum considerationem meretur. Nascimur enim singuli in morbos, & cum crescimus, morborum quoque numerus nobiscum crescit, vita autem successive decrescit, ut hunc omnino, quem vivimus, diem, semper cum morte dividere necesse habeamus. Hinc etiam vix concepti & inchoati embryonis signa, communiter mille matris tædia sunt, nausea nempe, vomitus, tormina, pica & infinita alia morborum tormenta, a quibus vix ullam unquam gravidarum immunem deprehendere licet. In partu dein, quid non metuendum

habet

habet tenellus infans a matre, ab imperita obstetrice, a se ipso & postmodum ab aliena nutrice, si forsitan, ut moris nostro ævo est, in eam incidit? E carcere materno dein exclusus, primum vitæ tempus dat lacrymis, atque dein per satis notabile temporis spatium, ob partium debilitatem nec loqui, nec vesci, nec ingredi absque aliorum auxilio novit. Neque tamen teneris adeo membris ullo modo parcunt morbi, quin potius cito adsunt Achores, Hydrocephalus, Siriasis, pluraque alia: Nondum firmatum cibis os Aphthis scatet, lac assumtum â ventriculo revomitur, alvum vexant tormina, caput vigiliæ & pavores, totumque corpus convulsiones torquent. Quando dein in incrementum tendit corpus & in majorem proceritatem assurgit, itidem in plures morborum impingit scopulos, nec unquam justum magnitudinis suæ terminum attingit, nisi per varias mutationes, quæ communiter plures producunt ægritudines. Quæ hanc sequitur ætas, quamvis â multis impuritatibus repurgata, acerbos tamen inducit affectus, fere immedicabiles & non raro cum morte tantum mitescentes, Hæmoptyses nempe, Phthises, Vomicas &c. Sic & de iis, qui ad consistentis & virilis ætatis optimos annos pervenerunt, & judicii maturitate totam perfectionis metam adæquasse videntur, mirum ac miserum potius est, quâ celeritate labantur & cum corporis viribus in iisdem animi quoque vigor minuatur. Tandem inclinante ætate sensim obrepit non intellecta senectus, ubi tanto magis tristis & querelis plena agitur vita, ab omnibus deliciis aliena, & vitiis pariter ac morbis innumeris onerata: Languet enim spiritus, cor af-

 fligitur,

fligitur, caput concutitur ac vertigine rotatur, perit membrorum vigor, ac ob motus impotentiam Paralysis formidatur & non raro Apoplexia ipsa; alii ingravescente senectute repuerascunt animoque bis pueri fiunt; in aliis vero calculorum tormenta adsunt, diraque Arthritis, aut nodosa Podagra & Chiragra assiduo cruciatu artus affligunt, & quidem tanta cum atrocia & pertinacia, ut nulla arte nulloque medicamine debellari queant; quoniam non antea torqueri desinunt, quam doloris vi & diuturnitate patiendi quoque vitam simul sustulerint. Cum ergo hæ pluresve aliæ intuitu *Ætatum* occurrentes vicissitudines, magnæ utique considerationis sint in Scholis Medicorum, nullusque horum, si modo prudenter conscientiæ suæ consulere intendit, utilissima hacce doctrina carere queat, nisi tam in cognitione, quam curatione morborum gravissimos & periculosissimos committere velit errores; hinc placuit mihi, pro virium tenuitate ac ingenii modulo, veram *Theoriam Ætatum Physiologico-Pathologicam*, juxta veræ & ingenuæ rationis probatæque experientiæ fundamenta adumbratam, loco Speciminis inauguralis sistere, cui qualicunque conatui ut ex alto clementissime benedicat Summum Numen, ardentissime nunc precor voveoque.

SECTIO PRIOR.

THEORIAM PHYSIOLOGICAM ÆTATUM EXHIBENS.

§. I.

NOn lubet equidem latius evagari & statim in limine hujus tractationis diutius criticæ vocabuli *Ætatis* evolutioni

lutioni immorari, ne forsitan levioribus hisce nimium intenti, alia magis utilia & necessaria prorsus negligamus; licebit tamen paucis, antequam ad realia progrediamur, præmonere, quod vocabulum illud non inepte a Græco αἰών deductum esse videatur, quod alias *Ævum* designat, (quo ipso nomine inter alia etiam *vita* ejusque certum spatium indicatur;) ab Ævo vero dein Ævitas, tandemque ab hac voce, rejecta media syllaba, nobis adhuc usitatum illud, *Ætas*, originem suam duxisse reputetur. Cum vero insuper hæc ipsa vocula etiam vario sensu accipiatur, & modo in genere certam temporis mensuram denotet, modo pro mundi ætatibus, seu ita dictis *Epochis*, vel etiam pro spatio centum annorum, seu *Seculo*, nec non pro parte aliqua Seculi; interdum pro *tota hominis vita*, quæ significatio dein omnes specialim ita dictas ætates simul includit, & tandem pro *certo vitæ spatio* sumatur; hinc tribus saltem verbis indicasse sufficiet, nos non nisi hanc ultimam significationem, quam Græci per vocabulum ἡλικία exprimunt, nostram facere, eaque propter dum specialissime de *Ætatibus hominis* jam nobis sermo erit, per eas proprie *certas vitæ periodos, in quibus tota hominis constitutio, non solum respectu vitalium & moralium functionum, sed & intuitu mixtionis fluidarum & texturæ solidarum partium, evidentem & notabilem quandam subit mutationem*, intelligere.

§. II.

Solent autem communiter Auctores variis modis Ætates inter se distinguere, prout nimirum vel generaliorem, vel specialiorem de iisdem sibi formant conceptum: Generaliter enim aliqui cum GALENO *Lib. II. de Temperam. cap. 2.* triplicem saltem admittunt earundem divisionem, inter *statum* nempe *Incrementi, Vigoris* & *Decrementi* hosque diversos status sibi quoad durationem ita æquales esse reputant, ut tot sint anni incrementi, quot vigoris, totque anni vigoris, quot decrementi; unde, si cuivis statui tribuantur e. g. anni 25. resultat equidem exinde numerus 75. annorum, utpote terminus medius inter 70. & 80. annos, quos tanquam extremum vitæ nostræ terminum sacræ Literæ adducunt; minime ta-

men propterea hæc ipſa ætatum periodus abſolute pro ultima & infima habenda erit, quin potius ſpecialiori diſpenſationi Divinæ eandem unice relinquendam, & ſolummodo pro maxime probabili ad interim aſſumendam, ſimul vero etiam cuilibet in re tali, quæ non de fide eſt, liberrimam ſentiendi facultatem merito concedendam eſſe judicamus. Conf. Dethardingii Diſſertatio de *Neceſſitate Medicinæ ex natura termini vitæ, Anno 1719. Roſtochii habita.*

§. III.

Quod autem ad ſpecialem Ætatum diviſionem attinet, litigant equidem adhuc magis inter ſe, tam Phyſici, quam Medici, variaque producunt ſingularum periodorum ſchemata, variis fundamentis ſuperſtructa, facile tamen ex iis illud, quod ordini Naturæ magis conſentaneum eſt, quilibet eligere poterit, ſi modo circumſtantias inferius adducendas cum grano ſalis penſitaverit: Communiſſima & ſimpliciſſima harum diviſionum eſt illa plebis, quæ juxta vulgo ita dictam *Scalam decempedam* dirigitur & numero denario ordinarie adſtricta deprehenditur, unde dein πολυθρύλλητον illud prognatum: Zehen Jahr ein Kind, zwantzig Jahr ein Jüngling, ꝛc. ꝛc. quæ vero, quoniam & rationi & experientiæ prorſus contraria eſt, nullum propterea inter eruditos meruit aſſenſum, ſuisque amatoribus & fautoribus merito relinquitur. Econtrario vero ARISTOTELIS Auctoritas, qui tria tantum diſcrimina ætatum conſtituit, *pueritiam* nempe, *juventutem*, ſeu floridam ætatem, & *ſenectutem*, complures eruditos in ſuas traxit partes, quod nimirum non niſi tres inſigniores mutationes in vita hominis occurrerent; ad quos & illi referendi erunt, qui ætatum tempora cum plantarum fatis comparant, & ad inſtar prioris â GALENO introductæ diſtinctionis, in *incrementum*, *conſiſtentiam* & *decrementum* vitam diſtribuunt; aſt cum nimis generalis ſit triplex iſta periodus, ad minimum in alias minutiores dividenda, merito eandem hic omittimus.

§. IV.

Ad medicos uſus paulo magis quadrat PYTHAGORÆ quaternaria diſtributio ætatum, qui nimirum vitam in *pueritiam*,

tiam, juventutem, virilem ætatem & *senectutem* divisit, licet hoc parum attendamus, quod insimul hanc quadripartitam varietatem cum quatuor anni temporibus singulari quadam proportione comparaverit, quoniam melius nobis suppetit fundamentum, inferius allegandum, quod heic supponi potest. Quodsi etiam cuidam placuerit prædictas hasce quatuor periodos ulterius adhuc dirimere, & primam dividere in *infantiam* & *pueritiam*, alteram in *pubertatem* & *adolescentiam*, tertiam in *ætatem vigentem*, seu *virilem stricte dictam* & *consistentem*, & quartam in *vegetam* & *consummatam senectutem*, ille quoque, salvo isto quaternione, id facere eoque ipso insimul varias circa hanc Theoriam occurrentes circumstantias forsitan clariores reddere poterit.

§. V.

Alii denique adhuc majori cum ratione singula vitæ lustra juxta septenarium numerum, aliis quoque in rebus sacrum, dividunt, quorum ante signanus procul dubio HIPPOCRATES est, qui in *libr. de ætat.* in septenario numero ætatem hominis totam contineri primus asseruit, quæ ipsa divisio, quoniam ordini Naturæ quam proxime accedit, etiam nobis præ priori arridet: Solet enim providum hoc corporis nostri principium vitale septenarium huncce numerum plerumque in motibus notabiliori cuidam usui dicatis exquisite observare & applicare, prout hoc liquido apparet non solum ex consueto menstruo fluxu, ordinarie elapsis quater septem diebus recurrente; sed & ex ipsis motibus & excretionibus criticis, variorum morborum solutionibus destinatis, siquidem in febribus acutis semper fere observamus, quod Natura, principalis illa morborum medicatrix, nisi forsitan incongruis auxiliis turbata fuerit, quolibet septimo die, donec plenarie subjugaverit id, quod corpori inimicum videbatur, criticas materiæ peccantis morbificæ excretiones moliatur, reliquis autem diebus circa ejus præparationem occupata sit, exceptis saltem peracutis morbis, in quibus quia materiæ malignitas celerem sui subjugationem exposcit, utique citius equidem criticam ejus excussionem moliri cogitur, nec tamen intra aliam, quam se-

mi-ſeptenariam ad minimum periodum negotium hocce abſolvere conatur.

§. VI.

Quam denique SOLON, Athenienſium Philoſophus, quondam protulit Ætatum diviſionem in *ſeptem periodos*, ea pariter non modo paſſim Medicis, ſed & ipſis Aſtrologis placuit, quippe qui exinde occaſionem nacti ſunt, ut ſingulis periodis aliquem Planetam & hujus regimen adſcripſerint, v. g. infantiæ *Lunam*, pueritiæ *Mercurium*, adoleſcentiæ *Venerem*, juventuti *Solem*, virili ætati *Martem*, ſenili *Jovem* & decrepitæ *Saturnum*; hinc, licet horum nobis non arrideant nugæ, priorem tamen illam ætatum diſtinctionem in ſeptem periodos modo allegatas commodiſſime retineri poſſe putamus, cuilibet tamen liberum relinquentes, an forſitan cum aliis adoleſcentiam adhuc in annos pubertatis & proprie ita dictam adoleſcentiam, ſenectutem vero in crudam, maturam & decrepitam dirimere, hacque ratione decem ætatis ſpecies formare velit. Quod autem harum periodorum limites attinet, *infantia*, utpote ætatum omnium prima, ordinarie primum quoque explet ſeptenarium, quo elapſo communiter dentes excidunt, novique iterum progerminant. *Pueritia* extenditur usque ad finem ſecundi ſeptenarii, ubi ſigna *pubertatis* ingruunt, atque in maribus ſemen ſecerni, in fœmellis autem menſium fluxus prorumpere ſolet, quæ intra ſemi-ſeptenarium plerumque ſeſe manifeſtant, ita ut poſt decimum ſeptimum annum incipiat proprie ita dicta *adoleſcentia*, quæ dein poſt annum XXIV., cum fine incrementi in longitudinem, etiam definit, ejusque in locum *juventus* ingruit, quando nimirum ceſſante augmentatione in longitudinem, corporis partiumque craſſities magis augeſcere incipit, id quod per ſeptenarium cum dimidio durat, nempe usque ad ſextum ſeptenarium, quo tempore *virile robur* ſeſe ſiſtit, & corporis atque animi vires debitam ἀκμὴν attingunt, quæ dein durante *conſiſtenti ætate*, per ſeptimum nempe ſeptenarium, ſeu usque ad annum XLIX. in eo gradu & ſtatu conſervatur; poſtmodum autem ſucceſſive decreſcit & ſic tandem *ſenectus* incipit, quæ, quia octavo ſeptenario non admodum notabilia infert incommoda, merito *viridis*

ridis

ridis vocatur, ſuccedente dein *maturâ ſenectute*, quam plura magisque exquiſita comitantur incommoda, usque ad finem noni ſeptenarii, ubi dein omnia vacillare incipiunt conſuetusque vigor eximie remittit, unacum corporis valetudine marasmode morbidaque debilitate, quam decrepitam vocamus *ſenectutem*, cum anno ſexageſimo tertio nimirum ingruentem & usque ad ultimum vitæ finem durantem.

§. VII.

Præmiſſis ergo generalioribus hiſce fundamentis ad ſpecialiora nunc progredimur, cujusvis nempe periodi notabiliores circumſtantias phyſiologicas, ſeu conditionem ſtatus naturalis, juxta hunc ordinem luſtraturi ac delineaturi. Extenditur autem ordinarie *prima ætas*, quam Græci αὔξησιν vocare ſolent, quoniam nempe continet ſtatum incrementi hominis, quo hic ſibi ſoli vivere ſolet, a prima nativitatis hora usque ad annum decimum quartum, ſimulque ſubdividitur in *infantiam* & *pueritiam*: Novem enim illi menſes, per quos fœtus humanus in uteri materni latebris deliteſcit, in numerum ætatis minime venire ſolent, licet per illud temporis ſpatium itidem mutationes quædam, roboris increſcentis teſtes, contingant, videlicet motitationes illæ quinto ingravidationis menſe obſervandæ, conatus eliſorii ſub ſeptimo interdum menſe occurrentes, &c. Quoniam vero hoc ipſo tempore plenarium complementum fabricæ corporis adhuc deeſt, hinc ætati illud hodie non annumeratur, ſed potius ipſe partus pro primo ejus termino meritò conſtituitur.

§. VIII.

Eſt autem *infantilis ætas* omnium innocentiſſima, & ſimul primis præcipue temporibus, impotentiſſima, eoque ipſo luculentiſſimum imperfectionis noſtræ & miſeriarum, quibus meritò, poſt triſtem Protoplaſtarum lapſum, plectimur, documentum præbet: Vivit enim infans ex clauſtris Uteri egreſſus, aſt ab initio vix vitam plantæ exſuperat, quoniam tenerrima membra, ob ſummam fibrarum flacciditatem, ad paulò exquiſitiorem motum ſubeundum prorſus inepta ſunt, ſtatimque delaſſantur, loquela deficit, ſenſuum mira hebetudo con-

 currit,

currit, & omnium, quæ ipsi contingunt, quin & sui ipsius, ignarus esse solet. Postmodum successive crescit vigor Naturæ, quippe quæ in roborando & perficiendo corpore admodum activam & sollicitam se ostendit, adeo, ut vix elapso anni dimidio, statim arduum illud moliatur opus, promotionem nempe eruptionis dentium in alveolis hactenus delitescentium, quæ ipsa communiter sub molestissimis pathematibus procedit, ut gravissime interdum ægrotent & non pauci, inprimis teneriores, accedentibus motibus convulsivis præmaturo admodum fato e vivis eripiantur. Confer. HIPPOCRATIS *Aphor.* 25. Sect. III. Aliquando equidem infantes dentibus aliquot jam jam instructi in lucem prodeunt, & hi communiter singularem quandam animi vivacitatem exhibent, sed rarius hoc contingit, & præsertim in iis, qui ex Heroum familia geniti sunt, observatur, quemadmodum tale quid de *Ludovico XIV.* Galliæ Rege, notum est, nec non de *M. Curio* & Papyrio, Ducibus Romanorum, item de *Valeria* refertur â PLINIO *in Hist. nat. Lib. VII. c. 16. & 17.* Confer. etiam HILDANVS *Epist. 68.* SCHENCKIVS *Lib. I. Obs. 380 & 407.* RHODIVS *Cent. I. Observ. 92.* aliique. Rarissimum autem est infantem omnibus dentibus instructum ex Utero egredi, uti hoc JOH. ROSSVS *Warwic.* de RICHARDO *II.* Angliæ Rege testatur. Confer. *A. N. C. Dec. II. Ann. IV. Obs. 28* Sicuti autem negotium hoc dentitionis aliquando citius peragere & quasi anticipare solet Natura; sic non raro quoque diutius illud differri & serius institui observatur, prout Historiæ in *A. N. C. Dec. I. Ann. 9. & 10. obs. 112. & Dec. II. Ann. IX. Obs. 52. & 212.* testantur. Quin imo curiosum admodum est, quod in senibus vivacioribus non solum unus aut alter, sed complures dentes, in locum antea amissorum prodeant, ipsique hac ratione, redeunte quasi pristino robore juvenili, rursus dentiant, cujus rei admodum notabilia apud GASSENDVM *Sect. III. Membr. post L. 13. c. 2. pag. 592. & in A. N. C. Dec. I. Ann. 9. & 10. Obs. 134. & 171. Dec. II. Ann. III. Obs. 15. & Ann. IV. Obs. 28.* prostant exempla, ex quibus liquet, quod de genuino tam eruptionis, quam casus dentium termino, nihil certi statui queat.

§. IX.

§. IX.

Peracto dein & rite absoluto dentitionis opere, alios dein labores in hac ætate suscipit provida Natura, & quidem primo firmatis undique fibris ac in dies adaucto robore partium, organa loquelæ dicata perfectiora & aptiora ad hoc munus obeundum reddere annititur, quo & cum aliis animi sui sensa communicare discat infans, quod qua ratione & modo potissimum fiat, ingeniose tradit PETR. REGIS *in Syst. Philos. L. VIII. P. I. C. 9.* Insuper etiam tunc gressus tentare & ad ambulandum sese accommodare studet tenera hæc ætas, quod quidem, ob teneriorem & debiliorem adhuc ossium substantiam, quæ corpusculi hujus molem difficulter sustinere valet ab initio ægre admodum succedit, ut peregrino quodam fulcimento subinde opus habeant, donec habiliores facti, anno circiter ætatis tertio vel quarto, majori vigore & confidentia undique obambulare queant; & intra hoc spatium insimul quoque structura corporis æqualiter magis perficitur, caput proportionatam magnitudinem nanciscitur, cranium magis magisque induratur, suturæ antea dehiscentes arctius coeunt & firmius sibi invicem implicantur, inprimis autem hiatus ille triangularis, *Fontanella* dictus, coalescit, ligamenta membranacea tenaciora evadunt, pluresque cartilagines in ossa indurantur, quæ omnia auctioris nutritionis exquisitissima solent esse consectaria.

§. X.

Quemadmodum ergo Architectus domum minus exstructam minimè onerat mercibus, antequam debite exstructa & convenientibus fulcimentis roborata est: Sic & principio illi vitali, quod sufficienti notitia, corpus humanum struendi, præditum est, utique competit, ut hanc ipsam artificiosissimam machinam, in varios suos usus abhinc adhibendam, debito vigore & robore prius instruat, id quod etiam per primos annos ordinarie fieri solet. Hinc nulla fere operatio in toto corpore tunc temporis magis viget, quam nutritionis actus, siquidem tribus aut quatuor primis ætatis annis pusillum antea fœtus corpusculum in tantam excrescit

 molem,

molem, ut ARISTOTELES *Lib. I. de Generat. Anim. cap. 18.* hominem quinquennem dimidium altitudinis, quam reliquo tempore consecuturus est, adeptum esse judicet, ex quo concludere licet, quod homo, si paucos solummodo annos proportionata energia augmentetur, certissime in monstrosam & giganteam excrescere valeat molem. Quoniam vero copiosa nutritio etiam copiosum exigit succum nutritium, hinc necessario quoque infantes copiosiori indigent alimento, juxta HIPPOCRATIS *Aphorismum 14. Sect. I.* adeoque præstat infantes in primis annis nimis satiari, quam minus: Observamus enim quod omnes illi actus, ad hunc scopum præcipue spectantes, hoc ipso tempore præ aliis valeant; viget nempe appetitus, ut illa ingerantur, quæ non solum ad nutritionem, sed & augmentationem faciunt, quod consueta infantum ἀδηφαγεία testatur; concurrit etiam prompta ciborum assumtorum in ventriculo resolutio, heterogeneorum cum illis simul remixtorum exquisita segregatio, & tandem retentorum laudabilium proportionata distributio, de quibus omnibus exactissimum præbet testimonium incrementum corporis sub hac ætate læte in dies surgens.

§. XI.

Sub his autem circumstantiis, dum nimirum Lympha in copia paulo majori intra M. S. defertur, ipse sanguis utique tenuis admodum & fluxilis redditur, insimulque fibræ magis flexiles & turgidæ evadunt, quod habitus corporis pariter laxus, porosus & mollis sufficienter demonstrat, eaque propter etiam sanguis per patentiora fibrarum oscula expedite movetur ac circulatio ejusdem liberrime succedit, unde pulsus moderatus & æqualis, simul tamen etiam quodammodo languidus esse solet, ne nimirum humor iste gelatinoso-mucido-aquosus, in laxam & debilem texturam impetuose progrediens, perniciosos infarctus aut stases producat, aut necessariam particularum nutritiarum appositionem prorsus impediat. Inde etiam est, quod hujus ætatis subjecta calore tantum moderato ordinarie gaudeant, ob fibrarum nempe elasticitatem mino-

norem & ſanguinis per interſtitia ipſarum tranſitum debiliorem abinde ſimul dependentem.

§. XII.

Sicuti autem intuitu horum modo allegatorum phœnomenorum in Oeconomia vitali infantum omnia libere, ſatis prompte & vegete ſuccedunt, nullusque vel obſtructionis, vel infarctus, ſtaſeos aut corruptionis qualiscunque metus principio vitali incutitur: Ita & in moralibus actibus eandem quoque tranquillitatem in ſubjectis hiſce deprehendimus, ſub qua ſimul ſuaves admodum ſunt, offenſionis non ita memores, nec propoſiti tenaces, nullisque fere de rebus ſolliciti; periculo autem imminente, de imbecillitate ſua ſatis convicti, trepidant ſtatim & facile in maximas anguſtias, imo exinde dependentes graviſſimos motus convulſivos, præcipitantur, eaque propter inprimis terrores, tam veri, quam ficti, ipſis plerumque infenſiſſimi & periculoſiſſimi eſſe obſervantur. Præterea etiam ſomnolenti magis ſunt, partim ob prædictam illam animi ſecuritatem, partim ob frequentem ciborum ingeſtionem. Intellectus autem, ob flaccidam nimis & humidiorem cerebri conſtitutionem, fere ſepultus adhuc eſt, vigente interim magis memoria, quoniam hæc ætas, libera magis a curis, facile, quicquid offertur, recipit & retinet, unde etiam recte SENECA, *primum quod ætas invadit*, eſſe memoriam, aſſeruit. De reliquo *Temperamentum*, quod in hac & ſubſequenti ætate potiſſimum regnat, *Sanguineum* inprimis eſſe, ſucculentus ille corporis habitus, faciei venuſtas, vaſorum ſanguiferorum minor diameter, moderatus calor, membrorum agilitas & ipſa tandem accretionis indoles, ſufficienter demonſtrant.

§. XIII.

Circa finem hujus ætatis, elapſo nempe primo ſeptenario, notabilis quædam mutatio plerumque occurrit, dum primores dentes, quæ durante lactatione generati ac protruſi fuerunt, & abinde *lactei*, germ: die Milch-Zähne, vocantur, tanquam infirmiores, iterum excidunt ac novi & durabiliores eorum in locum prodeunt, hocque tempore *Pueritia*, usque

que ad ſecundi ſeptenarii complementum ſeſe extendens, ſuamque denominationem forſitan a *puritate*, quoniam innocens & impuræ libidinis adhuc inſcia ſolet eſſe hæc ætas, ſortita, initium ſuum ſumit. Iſta autem dentium permutatio tunc plerumque ſatis ordinate ſuccedit, dum nempe primo inciſores, dein canini, & interdum proximi his molares, excidunt; reliquos autem poſteriores molares fere ſemper immutabiles eſſe, per experientiam conſtat. Interdum etiam negotium hoc renovationis dentium, pariter uti prima dentitio, ſerius differtur, usque ad pubertatis fere terminum, notante EVSTACHIO *Lib. de dent. cap. 29.* Neque etiam ſub hoc actu totus dens cum radice ſua ex alveolis elabitur, ſed ſolummodo portio ſuperior albicans foras prominens ab inferioribus ſucceſſive ſeſe elevantibus propellitur, ut deinde vel ſponte decidat, vel minimo labore evellatur, alias enim nulla plane ſperanda eſſet regeneratio.

§. XIV.

Præterea etiam ſub hac annorum periodo fibræ partium muſculoſarum ſenſim ſolidiores & magis elaſticæ evadunt, hacque ratione tranſeunti ſanguini magis reluctantur, & eundem ſimul fluidiorem ac paulo ſubtiliorem, cum augmento motus inteſtini & abinde dependentis caloris naturalis, reddunt, præprimis cum inſuper quoque agile puerorum vitæ genus, continui fere motus & exercitia corporis, accedant, quibus non parum adjuvatur hic effectus, inſimulque ſeri halituoſi notabilis portio per laxam ſatis ſtructuram cutis expellitur, particulæ autem ſalino-ſulphureæ magis exaltantur, ut ita ratione craſeos optimus evadat ſanguis, & ob ejus intimiorem aditum intra extremam corporis peripheriam facies florida, roſea, ac reliqua membra rubentia, tepida & ad tactum mollia appareant. Pulſus ſub his circumſtantiis itidem moderatus, æqualis & ab omni impetu alienus eſt, quoniam ſanguis liberrime & expedite progrediens vehementiori motu non indiget, nullusque principio vitali incutitur metus obſtructionis cujusdam, nec etiam ullum turbandæ ſanguinis mixtioni impendet periculum, quapropter ejusmodi

ſubjecta quoque in actionibus moralibus ſecuritati magis indulgent, animique placidi, alacris, hilaris, petulantis, ſed ſimul tractabilis, otioſi ac voluptuoſi ſunt: Ob intellectus autem qualemcunque adhuc immaturitatem, creduli nimis, incauti, minusque judicioſi ſunt, memoria autem tanto magis excellunt, adeoque ad erudiendum tunc ſunt aptiſſimi. Aliquando etiam ingenium quaſi divinum admodum præmature in hac ætate oſtendunt, hacque ratione, ſi fida & ſolerti manuductione illud ſimul magis excitetur, ſæpiſſime brevi temporis ambitu eruditionem inſignem acquirunt, omniumque admirationem in ſe rapiunt, aſt, quod præcipue dolendum, rariſſime ad maturiorem ætatem deveniunt, quin potius, facis lucidiſſimæ ſimul tamen cito deflagrantis ad inſtar, brevi iterum extinguuntur & evaneſcunt, prout hoc exempla in *Actis Erudit. Lipſienſ. Anno 1683. Menſ. Septembr. p. 388.* FREHERI *Theatro Viror. Clar. Part. I. pag. 1539.* & *Annalibus Med. Phyſ. Wratislavienſ. Ann. 1724. M. Januar. Claſſ. VI. Art. 3.* occurrentia, ſatis notabilia ſufficienter demonſtrant, ſimul vero etiam exactiſſimum argumentum præbent, non niſi unum eſſe in corpore principium, quod illud movet, nutrit, conſervat, &c. quoniam nimirum infantes & pueri tales præcoces, quantum ingenio excellunt, tantum corporis proceritate & robore, imo etiam duratione vitæ deficiunt.

§. XV.

Secunda ætas, Juventutem exhibens, poſtmodum initium ſumit abſoluto altero annorum ſeptenario, ſimulque *Pubertatem* & *Adoleſcentiam*, ſub ſe comprehendit. *Pubertas* autem, Latinis â pube, ſeu lanugine circa pubem & pudenda tunc prodeunte, Græcis ἥβη dicta, breviori circumſcripta eſt termino, ſiquidem tantummodo ſemi-ſeptenariam periodum comprehendit atque anno decimo ſeptimo cum dimidio iterum ordinarie finitur. Variat equidem initium pubertatis, dum alii citius, ſi nempe activioris indolis & temperamenti ſunt, in locis magis meridionalibus degunt & ſub diæta lautiori vinoſa & aromatica verſantur; alii vero ſerius pubeſcunt, ſi frigidioris & ſegnioris ſunt conſtitutionis in regionibus ver-

ſus Septentrionem magis ſpectantibus habitant, ab alterius ſexus conſortio remoti ſolitarie vivunt, & ſub graviori laborum onere crudiorique diæta continuo verſantur, niſi forſitan perſonalis idioſyncraſia impedimenta iſta exſuperet. Legitimus vero & hodiedum adhuc uſitatus pubertatis terminus eſt annus decimus quartus, qui etiam â JCtis obſervatur in maribus, prout ex *Inſtit. Juſtin. Quib. mod. tut. fin. & L. 3. Cod. q. tut. v. cur. conſtat.*

§. XVI.

Solenniores autem illæ mutationes in hac ætate ordinarie occurrentes, unice negotium generationis, ſeu potentiam tum generandi, tum concipiendi individuis conciliandam, ſpectant, adeoque etiam ſatis notabiles tam animi, quam corporis, inprimis autem organorum adhuc actum ſpectantium illo tempore obſervandæ ſunt alterationes. In ſexu nimirum potiori, aucto paulo magis ſanguinis circulo & calore naturali, inſolitus antea orgaſmus in toto corpore frequentius percipitur, partium tonus & robur exaltatur ac fibræ ipſarum hactenus debiliores & laxiores magis obfirmantur, inſuper etiam humores lymphatico-ſalivales circa caput & collum ſecreti & collecti copioſius verſus vaſa ſpermatica diriguntur ac deferuntur, ut hæc ipſa amplientur & liquoris hujus ad generationem adeo neceſſarii præparati adjuvetur & promoveatur; hinc etiam interior aſperæ arteriæ ſuperficies, humoribus hiſce deſtituta, ſiccior evadit, eaque propter vox antea clara & ſonora nunc in raucam & inæqualem convertitur, quod HIPPOCRATES *Lib. VI. Epid.* & ARISTOTELES *Lib. VII. Hiſtor. animal. cap. I.* τραγίζειν, ſeu *hircitare* vocant, quæ ipſa phraſis a quibusdam Autoribus de ſingulari quodam ſubjectis hiſce familiari, quaſi tunc hircum redolere inciperent; ab aliis de libidine, hircorum ad inſtar in iisdem tunc ſeſe exſerente; aliquando etiam de lanugine in genis & mento prorumpente, quoniam vocabulo τραγȣ antiquiores Medici loca corporis humani pilis leviter obſita deſignare ſolebant, interpretatur; nobis vero de voce tunc temporis quaſi caprizante aut hircitante potius intelligenda eſſe videtur, quæ tamen brevi

brevi intervallo poſtmodum iterum planior & æqualior redditur, quando nempe, prædictis organis ad debitam perfectionem deductis, nunc ſanguis æquali & placido motu propellitur, orgaſmum cum calore antea intenſo remittit ac eo ipſo interior tracheæ ſuperficies unacum aliis partibus debite quoque humectatur & lubrica redditur. De reliquo ſingulæ hæ mutationes ſub peculiari quodam voluptatis ſenſu communiter ſubjectis hiſce eveniunt, dum nempe virile ſemen in vaſculoſa teſtium ſubſtantia elaboratum & ſecretum, dehinc in epididymidum tabulos promotum & tandem per vaſa deferentia veſiculis ſeminalibus communicatum, talem utique ætati huic, cæteroquin in moralibus adhuc imbecilli, infert pruritum & æſtum venereum, ut ægre admodum intra caſtitatis limites coerceri queat. Inſuper quod ſub auctiori & vehementiori illo ſanguinis verſus teſtes affluxu inſimul transpiratio ibidem intenditur, adeoque non ſolum hæ ipſæ partes tunc copioſius ſudant & materia quædam mucoſa-olida & nidoroſa iisdem circumfuſa apparet, ſed & pili ibidem prorumpentes indies magis expanduntur, id quod etiam ſub axillis, pariter udore ejusmodi uliginoſo tunc ſcatentibus contingit, quemadmodum etiam prima barbæ rudimenta tunc apparere incipiunt, quæ in lanugine, hiſce annis tantum labium ſuperius obſidente, poſtmodum tamen latius ſeſe expandente, conſiſtunt, donec tandem ſingulare hoc virilis gravitatis ſignum, elapſo circiter quarto ſeptennio plenariam ſuam perfectionem acquirat.

§. XVII.

Quod ſequiorem ſexum attinet, in eo, appropinquante pubertatis termino, Natura unice fere ad futuram tandem aliquando fœtus conceptionem & nutritionem ſeſe præparare ſolet, eumque in finem paulo majorem ſanguinis copiam colligit ac circa Uterum inprimis congerit, ut dein tanto facilius graviſſimum hunccc actum abſolvere queat. Ne vero iſta abundantis ſanguinis quantitas interim qualecunque periculum aut damnum Oeconomiæ vitali afferat, prudenti conſilio excretionem aliquam periodicam ejusdem per prin-

cipale illud generationis organon hoc tempore molitur, & ut plurimum perficit, singulisque mensibus (excepta in plerisque graviditate & lactatione,) constanter & assidue repetit, donec terminus ille, intra quem ad generationem ordinarie apta sunt talia subjecta, elapsus sit. Licet autem primam hujus menstrui fluxus eruptionem non raro citius, vel etiam serius contingere videamus, legitimus tamen & usitatissimus ejusdem terminus initium pubertatis, aut secundi septenarii finis esse solet, quo tempore plerumque puellæ tales insolitum in sanguine persentiscunt Orgasmum, cum variis aliis incommodis conjunctum, quoniam motu ejus versus vasa hypogastrica directo, sanguis superfluus ad Uterum ejusque vaginam congeritur, ut postmodum per insolitas antehac vias exterminetur, id quod vero, ob minus expeditam viarum permeabilitatem, plerumque admodum difficulter, & prima hac vice non sine doloribus, imo nec sine insigni animi consternatione, ob insolitæ hactenus rei præsentiam, contingit, pluraque alia satis molesta symptomata, ex Pathologia jamjam cuilibet nota, tam ante, quam post eruptionem illam, simul inferre solet. Præterea etiam Mammæ, quæ visum hactenus, apparente non nisi papillulâ, effugerant, sub singulari libidinis cujusdam sensu, successive attolluntur, ut malorum figuram quasi referant, dumque dein subjecta talia exinde suam ad actum conjugalem acquisitam aptitudinem hariolantur, ac tali ornamento se insimul dotata cernunt, plerumque Veneris incitamentis admodum divexantur & excruciantur, imo quandoque a Lympha in Clitoride & ipsis vaginæ glandulis stabulante adeo ad libidinem proritantur, ut etiam ex amore prorsus insaniant, cujus furoris uterini optimum remedium dein voluntatis adimpletio esse solet. De reliquo equidem barba in puellarum talium mento non solet prorumpere, quoniam non tam gravitatis, quam amoris plenam faciem consequi debent, ipsarumque suavis formositas hac ratione maxime obfuscaretur; aliquando tamen ex singulari Naturæ oberrantis ludibrio etiam hæ, tanto frequentius autem vetulæ, in signum ineptitudinis ad concipiendum,

bar-

barbam satis prolixam itidem exhibent, qualia exempla sat numerosa in *A. N. C. Dec. III. Ann. 5. & 6. Obs. 283. Dec. II. Ann. V. Obs. 48. Dec. I. Ann. 9. & 10. Obs. 95. & in Annalibus Med. Phys. Wratislav. Ao. 1724. Mens. Jul. Class. IV. Art. 7.* prostant.

§. XVIII.

Adolescentia dein, ab adolescendo ita dicta, quoniam sub hac ætate homines ad debitam deveniunt staturam, corpusque in longitudinem ulterius excrescere desinit, orditur ab anno decimo septimo cum dimidio, totumque annorum septenarium complectitur, adeoque usque ad vigesimum quartum annum durat. Comparatur hæc ætatum periodus, ob calorem moderatum, quo ordinarie pollet, non inepte cum æstatis initio, quod, sicuti omnium ætatum optima meritò reputatur, eaque propter *grata* vocatur *ætas*, quoniam sub eadem nimia puerorum humiditas consumta, calor verò non adeo vehemens est, ut in præcedente: Habitus enim corporis paulo strictior & fibræ magis elasticæ tunc apparent, unde sanguis per arctiora harum interstitia paulo majori cum virtute transprimitur, sicque magis insimul subtilisatur & attenuatur, quapropter etiam pulsus, qui huic viarum angustiæ proportionatus esse debet, communiter magnus, & ob summam sanguinis fluiditatem sat vehemens existit, adeoque non injuste exinde concludere licet, quod durante hac ætate Temperamentum Sanguineo-Cholericum magis prævaleat. Inde ergo est, quod ejusmodi subjecta, quoniam Naturæ in actibus vitalibus summa concessa est libertas, animi admodum hilaris & alacris sint, prompta ad agendum, voluptuosa, ad perpetranda scelera & vindictam exequendam admodum prona, præprimis autem miræ sagacitatis in exequendis concupiscentiis carnalibus. Denique quod internos sensus, vigent in ipsis præcipue memoria & ingenium, unde res sensibus susceptas promptissime percipiunt, simulque ad differendum paratissimi semper sunt: Insuper etiam intellectus majores in dies capit vires, adeoque etiam, omissis puerilibus, ad seria animum magis applicant, unde etiam dentes molares postici, qui sub hujus ætatis finem circiter prorumpere solent, non

inepte *Sapientiæ dentes* vocantur, quoniam hoc tempore intellectus unacum judicio crescere & magis obfirmari deprehenduntur.

§. XIX.

Sub tertia ætate, quam virilem vocant, principium vitale plerumque occupatum est in roborando corpore, acuendis sensibus & promovenda generandi facultate, ut ita subjecta, quæ hactenus sibi tantum vixerant, aliis quoque vivere incipiant, id quod a septenario tertio cum dimidio usque ad finem septimi durare solet, hacque ratione pariter septenarios tres cum dimidio sub se comprehendit, quo tempore dein vires notabiliter iterum decrescere & reliquæ functiones magis interpellari observantur. Dispescimus autem hanc ætatem merito in *vigentem*, sub qua nimirum robur virile sese potissimum exserere incipit, & *consistentem*, ubi illud obfirmatur & in tali gradu per aliquod tempus adhuc conservatur. Prior illa periodus incipit post adolescentiæ finem, & durat usque ad quintum septenarium, seu annum trigesimum quintum, estque illa maxime ætas, quæ æquo Marte agit, atque tam conservationi sui ipsius, quam speciei propagationi pari vigore invigilat. Non quidem studet, nec etiam tunc opus habet Natura, ut corpus in longitudinem ulterius extendat, quin potius sola ejus cura in eo terminatur, ut in tali statu conservetur, magisque insimul obfirmetur & conveniens ac debitum robur membris concilietur, unde etiam plerumque tunc potius ad obesitatem, quam ulteriorem proceritatem acquirendam disposita sunt talia subjecta. Interim omnium ætatum hæc fere calidissima est, quoniam ob fibrarum muscularium solidam maximeque elasticam texturam, concurrente insuper agiliori vitæ genere, sanguis ibidem transiens validissime concutitur, attenuatur & crasis ejus sulphurea exaltatur, adeoque Temperamentum Cholericum aut Cholerico-Sanguineum tunc plerumque prædominari observatur; cumque sub his circumstantiis pulsus naturaliter sit vehemens, quo sanguis per arctiora fibrarum interstitia debite progrediatur, licet hic progressus, ob ejus fluiditatem, alias quoque satis expedi-

peditus sit, hinc etiam in moralibus actionibus pariter alacres, expediti, vigiles, moræque impatientes sunt, impedimenta ipsis forsitan occurrentia, vigore resarciunt, proposita obstinato animo prosequuntur; ad iracundiam quoque & rixas admodum facile inclinant, quapropter etiam hæc ætas a quibusdam *bellicosa* vocatur, quoniam, teste CICERONE, ad superbiam, rapinas, dissensiones, homicidia, &c. prona & præceps est. Interim tamen etiam, ob insignem animi activitatem & peculiare mentis acumen ad omne fere studiorum genus hæc ætas aptissima est, si nimirum singularis illa in agendo præcipitantia & in eruendo impatientia quodammodo temperata & subjugata est, ne forsitan graviorem intellectus usui injicere queat remoram.

§. XX.

Ætas *consistens* virilis ab anno trigesimo quinto usque ad quadragesimum nonum extenditur, adeoque sextum & septimum sub se comprehendit septenarium, qua de causa etiam quibusdam placuit eandem in duos adhuc dirimere gradus, quorum alter ad sexti, alter vero ad septimi usque septenarii finem sese extenderet; quoniam nempe diversis hisce periodis etiam satis distinctæ & notabiles observantur in corpore alterationes, quarum intuitu etiam hæc cæteroquin levioris momenti subdivisio non prorsus rejicienda esse videtur. Sub *primo* ergo consistentis ætatis gradu communiter subjecta exhibent calorem paulo remissiorem, quam sub adolescentia & vigente ætate, quoniam M. S. antea summe exaltata haud ita diu in eodem statu permanere potest, quin potius, ob seri halituosi per calorem auctiorem, continuam exhalationem & crassiorum particularum accumulationem, concurrente insimul fibrarum paulo majori soliditate, crassis hujus humoris nunc quodammodo alteratur & paulo spissior redditur, adeoque etiam motus ejus progressivus quodammodo retardatur, qui dein paulo majori cum cura & attentione promovendus & conservandus, habita nimirum prudenti ratione proportione humoris hujus ad vias, ne nimirum crassiusculus illle, si majori forsitan impetu propellatur, intra angustio-

guſtiora fibrarum interſtitia obhæreſcat & periculoſas poſtmodum ſtaſes formet. Hinc etiam eſt, quod ſub hac periodo itidem in moralibus conſueta antea præcipitantia & animi libertas quodammodo fatiſcat atque ad ſaniorem mentem redeant talia ſubjecta; inprimis autem in gubernandis affectibus & reprimendis aliis irregularibus motibus potentiora evadant: Vigent enim tunc præcipue tam ingenii, quam judicii vires, adeoque in Republica litteraria pariter ac civili tales homines plurimum utilitatis præſtare poſſunt, ſimulque ad obeunda cujusvis generis officia aptiſſimi cenſentur, quoniam hocce tempore tam in vitalibus, quam moralibus eosdem ad debitam perfectionem deveniſſe, vel ex eo haud improbabile eſt, quod ab ulteriori corporis augmento nunc ſucceſſive deſiſtere incipiat principium, & abundantem adhuc ſuccum nutritium, qui calore vehementiori non amplius abſumitur, in peculiares folliculos ſub forma pinguedinis deponat, colligat & profuturis uſibus aſſervatum retineat.

§. XXI.

Secundus ætatis conſiſtentis *gradus* ſeptimum complectitur ſeptenarium, ſicque ab anno quadrageſimo ſecundo orditur & cum quadrageſimo nono terminatur, hocque tempore, fatiſcente ſucceſſive priſtina Naturæ activitate in negotio nutritionis, vires quodammodo imminuuntur & paulatim deficiunt; unde etiam deſiderium particularum nutritiarum & affatim in accretionem apponendarum quod *appetitum* vocant, remittit, in reſpectu ad priores annos, quod etiam de ſiti obſervatur, ita tamen ut in tali adhuc gradu remaneat, qualis ad ſolam nutritionem continuandam ſufficit. Somno etiam ſub hac periodo magis detrahitur, quoniam ad negotia accretionis vel nutritionis non amplius tantum temporis requiritur, uti ſub prioribus ætatibus; plerumque tamen adhuc ſufficiens eſt, ad laſſitudinem de die inductam corrigendam & amovendam. Habitus corporis antea laxior & diffuſior nunc ſenſim in ſtrictiorem mutatur, ita tamen, ut robori corporis nihil inde decedat, nec impediat, quo minus labores exantlandi impigre ſuſcipiantur & ſatis diu continuentur, niſi

forſitan

forsitan variis diætæ excessibus præmaturam senectam sibi accelerarint adolescentes. Non minus etiam vigor mentis per hanc periodum adhuc sic satis constat, inprimis autem providum in dirigendis actionibus moderamen exhibent & ad præmeditata consilia danda sese applicant, sufficienti testimonio, quod ardor juvenilis deferbuerit, & quæ antea flagraverat Cholerica dispositio nunc ad Melancholicam quietem se successive componere incipiat. In sequiori quoque sexu roboris vitalis notabile decrementum demonstrat privatio nobilissimæ facultatis, sub finem hujus periodi occurrrens, quando completo septimo septenario, fatiscente sensim Naturæ industria in proprii corporis nutritione, intentio quoque peregrinum corpus in Utero alendi prorsus cessare solet, eaque propter, mutata pristina sanguinis determinatione, superflua ejus quantitas non amplius versus Uterum dirigitur, unde dein menstruus fluxus plenarie deficit & subsistit, simulque perpetua ad concipiendum impotentia, seu sterilitas, postmodum invalescit.

§. XXII.

Quarta denique ætas, nempe *Senectus*, eam constituit annorum periodum, sub qua, ob ingruentem majorem virium defectum, homo nec sibi, nec aliis vivere putatur, quaque appropinquantis mortis amaritiem degustare incipit, & hæc extenditur a fine septenarii septimi usque ad mortem tanquam ultimam ejus lineam: Quoniam vero principium corporis nostri vitale, sicuti antea in struendo corpore minime saltum fecit, sed hoc suum domicilium sensim ad illum perfectionis gradum deduxit, quem sub tertia ætate potissimum exhibet; ita nunc pariter, si modo otium sibi concedatur, nullam in descendendo ab hoc perfectionis cacumine vult præcipitantiam, quin potius pedetentim in conservando & nutriendo suo corpore fatiscit ac paulatim desinit: Hinc placidus talis descensus Philosophis ac simul Medicis ansam præbuit, ut hanc Senii periodum modo in duas, nempe *viridem* & *decrepitam senectutem*, modo etiam in tres minores, nempe *viridem, maturam* & *decrepitam*, adhuc diviserint. *Viridem* seu

 cru-

crudam, per ſeptenarium octavum non niſi durantem, vocant, in qua quidem virentis roboris indicia adhuc emicant, magis tamen ad declinationem illa vergere & notabiliores mutationes ingruere videntur, dum nempe torpor in laboribus animi & corporis quidem ſentitur, qui tamen non impedit muniis præeſſe; obtuſior quidem eſt acies oculorum, deſpicere tamen adhuc longe licet; canities inſuper capillos hinc & inde pingit, non tamen plenarie obducit. Inprimis autem nutritio ſegnius ſuccedit & conſumta lente reſtaurantur, eaque propter fibræ motrices ſicciores, rigidiores minusque elaſticæ, corpus facile delaſſatur, viſcerum tonus & abinde dependentes actiones debilitantur, ventriculus languidius digerit, motus vitales, ſpeciatim vero ſanguinis circulatio & pulſus, tardius ſuccedunt, unde humoris hujus lentor & ſpiſſeſcentia in dies creſcit, quæ ob arctam pororum aperturam, aſſiduum & proportionatum pulſus moderamen exigit, cum continua cura & ſuſpicione conjunctum, ne forſitan ob facile oborientes ſtaſes, grave quoddam periculum ſuperveniat. Hinc tales ſenes ad omnia circumſpecti, penſitabundi, ſuſpicioſi, minus ſecuri magisque attenti eſſe ſolent, eoque ipſo Temperamentum Melancholicum magis magisque invaleſcere demonſtrant: idcirco etiam moderati ſunt in actionibus, laboris patientes, aſſidui, propoſiti tenaces, taciturnitatis ſtudioſi, in omnibus impedimenta magis, quam facilem ſucceſſum pertimeſcentes. Et licet tandem Memoria & Phantaſia tunc quodammodo a priſtino vigore deſciſcere videatur, judicii tamen robore ſatis exquiſito adhuc pollent, & propterea adferenda conſilia præmeditata aptiſſimi cenſentur, quæ etiam forſitan cauſa fuit, quod antiqui Melancholiam ſedem ſapientiæ eſſe crediderint. Vid. SENECA *Lib. de tranquill. cap. 15.*

§. XXIII.

Sub *ſenectute matura*, quæ ſeptenarium nonum complectitur, prædicta incommoda adhuc magis invaleſcunt, tonus nempe & elater viſcerum ac fibrarum magis magisque frangitur, actiones omnes langueſcunt, appetitus eſt imminutus

&

& digeſtio ciborum, ob fractas ventriculi vires ægrius peragitur, adeoque chylus non niſi crudus elaboratur, a quo dein craſis ſanguinis jam jam a naturali ſtatu deficiens, magis depravatur, debitamque nutritionem retardando Maraſmum lente invaleſcere permittit, hancque ob cauſam virium dejectio in dies invaleſcit, crines magis caneſcunt, imo candeſcunt & prorſus emoriuntur ſuccedente dein calvitie, dentes itidem vacillant & excidunt, omniumque ſenſuum acumen, ob relaxata organa, paulatim obtunditur. Quoniam etiam inſuper, ob creſcentem fibrarum ſiccitatem & ſanguinis ſpiſſitudinem Temperamentum magis Melancholicum redditur, hinc non ſolum anxia Naturæ ſollicitudo, de præoccupandis ſtaſibus, ſed & curæ ac inquietudines morales magis creſcunt, ut propterea triſtes, moroſi, impatientes, puſillanimes, ſuſpicaces & peſſima ſemper timentes, ſimulque avaritiæ non raro indulgentes deprehendantur, quæ omnia etiam Judicium, quod alias adhuc ſatis vigeret, eximie corrumpunt, reliquorum autem internorum ſenſuum vigorem prorſus fere obtundunt.

§. XXIV.

Tandem univerſum vitæ decurſum claudit ſenectus decrepita, ab anno climacterico magno ad vitæ usque finem durans, omnium ſane impotentiſſima ad exequendas ſuas functiones, ſi quidem in ea adeſt ſummus corporis languor & morbida debilitas cum animi faſtidio inſigni ad quaslibet res externas, membra exareſcunt, cutis antea extenſa & polita rugarum ſulcis fit deformis, pinguis muſculorum habitus fit ſtrigoſus, dentium jam jam perditorum alveoli, detritu magis pereuntes mentum acutum formant, cartilagines vertebris dorſi interjacentes duritiem majorem contrahunt, unde hoc incurvatus & priorem flexilitatem amittit, reſpiratio fit anguſta magis, vox tarda, tremula & ob dentium jacturam loquela imperfectior evadit. Similes graviores defectus obſervantur etiam quoad internos ſenſus, de quibus, obliterata Memoria & Phantaſia, vix exigua Judicii vis remanet, eaque fere infantilis, præcipue ſi præmaturo judicii acumine dotati

dotati fuerunt, ac ſtrenuis & aſſiduis meditationibus nimium quantum illud exercuerunt, hacque ratione, ob flaccidam insuper, ſicuti in primis ætatibus, Cerebri conſiſtentiam, puerilis animus in ipſis redire ſolet, unde recte tunc *Senes bis pueri* dicuntur. De reliquo, quoniam anima ex tot diſcriminibus per vitam ante actam didicit, periculorum atque fallaciarum plena eſſe omnia, hinc ſcrupuloſe jam examinat omnia, & ſuſpicioni plurimum indulgendo, quod nempe undique ipſi immineant adverſa, etiam undique præſidia & media ad defenſionem quærit, hisque intenta tanto magis curas corpori ſuſtinendo neceſſarias perdit. Somno hinc detrahitur, qui vix per paucas horas continuat, ſilet appetitus, magis adhuc ſitis & abinde dependens nutritio, fluida, quæ ſanguinem ſaltem quodammodo diluerant, nunc plane deficiunt, fibræ carnoſæ ſibi arctius accumbunt, ſanguinis curſus fit lentus magis ac debilis ſicque ſub plenario Melancholici temperamenti complemento inducitur Marasmus & ab hoc tandem ultimus Vitæ

FINIS.

